DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PODAGRA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EVARDUS SKEETE,

Occidentalis.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

VIRO EXIMIO

JOANNI RICARDI FARRE, M. D.

IN ARTE MEDENDI PERITISSIMO,

VIRTUTIBUS AC MORUM SUAVITATE

PARITER PRÆCLARO,

LITERIS ET VITÆ DIGNITATE

JURE INSIGNI;

HOCCE OPUSCULUM,

OB AMICITIAM ET BENEFICIA PERMULTA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

IN SE SÆPE COLLATA,

GRATO ET DEVINCTO ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

VIRO DILECTISSIMO

REVERENDO JOANNI WILSON,

M. D. V.

APUD

WALSTON,

OB

BONUM CONSILIUM

ALIAQUE BENEFICIA IN SE COLLATA;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

UT

ANIMI GRATISSIMI

TESTIMONIUM,

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

PODAGRA

COMPLECTENS.

Auctore EVARDO SKEETE.

MORBUS, de quo sum scripturus, varia accepit nomina, quæ rem eandem significant. Antiquissimis Podagra imponitur nomen, aliisque nuperius Arthritis, et ita ab HIPPOCRATE ad tempus nostrum designatur. Porro qui Humoralem amplexi sunt Pathologiam, qui nunc funditus evertitur, credentibus ortum esse morbum

circa juncturas ex acri humore, appellatus est Gutta, seu junctarum dolor, qua ex re, ut mihi videtur, *Goute* Gallice, aut *Gout* Anglice, pendet: Quibus tamen nominibus idem malum intelligitur.

Inter omnes morbos, quibus implicantur homines, nullus, quam hic, magis medicorum vindicavit attentionem, neque ampliorem patefecit contentionis campum, in quem periti ac imperiti quod ad ejus naturam, ac rationem medendi, pariter descenderunt. Sed tales lites vel componere, vel recensere, pariter a proposito erit alienum. Magis ad rem spectat, hujusmodi commenta prorsus rejicere, quæ, si non futilia et falsa, nunc admodum absurda atque incerta sunt.

Imprimis constat inter omnes, paucis saltem cum exceptionibus, morbum systematis esse Podagram, quocunque in modo aggreditur; aut in aliis verbis, e peculiari *diathesi*, aut constitutionis statu pendere: deinde hanc diathesin, inter quosdam originalem, inter alios hæreditariam esse.

Multi enim sunt morbo correpti, qui eum ab atavis indagare nequeunt; sed desides semper, sive ignavi et luxuriosi, intemperantiæ omnigenæ, liquoribus præcipue spirituosis indulgentes, quasi gignunt diathesin, quæ morbo proclivitatem dat. Dum alii observantur, qui quamvis semper naturæ convenienter vivunt, tamen occasionalibus morbi paroxysmis indolem eandem manifestant, quibus vitium hæreditarium in aprico est. Hæc enim diathesis, semel genita, adeo corpori inest, ut inter proles sæpius reviviscat, quali modo cunque vitam degant: intemperantiæ tamen dediti, ex qua primo originem habuit, magis obnoxii sunt.

Quoniam res se habent, diu quiescere diathesin experientia docet, donec causis occasionalibus erumpat doloribus, qui ægrum misere angunt, et obnoxii, pro gratis voluptatibus, quibus indulgent, poenas intolerabiles luunt.

Variat autem morbus, secundum temperamentum, corporis habitum, vivendique viam, quibus homines gaudent. Si robustum et validum est

corpus, vehementi inflammatione afficit extremos articulos, et paroxysmus cursum tenet, gradatim subsidet: sin aliter, fragilis est corporis fabrica, vires fractæ, vel maximas excitat molestias inter functiones naturales, et concoctionem malam inducit; vel sedem subito mutat, et organa adoritur, ex quibus vita ipsa pendet.

His præfatis, deinde proferre oportet morbi definitionem, quam CULLENUS noster dedit, qui aliis omnibus multo præstat in morbis definiendis. Ita: "Morbus hæreditarius, oriens sine causa externa evidente, sed præeunte plerumque ventriculi affectione insolita; pyrexia; dolor ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis, potissimum infestus; per intervalla revertens, et sæpe cum ventriculi, vel aliarum internarum partium, affectionibus alternans."

Hujus autem quatuor species dedit.

I. Podagra (Regularis) cum inflammatione artuum satis vehemente, per aliquot dies perstante,

et paulatim cum tumore, pruritu, et desquamatione partis, recedente.

II. Podagra (Atonica) cum ventriculi vel alius partis internæ atonia, et vel sine expectata aut solita artuum inflammatione, vel cum doloribus artuum lenibus tantum, et fugacibus, et cnm dyspepsia, vel aliis atoniæ symptomatis, subito sæpe alternantibus.

III. Podagra (Retrograda) cum inflammatione artuum subito recedente, et ventriculi vel alius partis internæ atonia mox insecuta.

IV. Podagra (Aberrans) cum partis internæ inflammatione, vel non prægressa, vel prægressa et subito recedente, inflammatione artuum."

Ex his definitionibus, non modo accurate depinguntur species singulæ, sed etiam peculiaria morbi signa, ejusque natura, luculenter docentur.

In his enim speciebus, morbus ipse, non in re, sed gradu distat, et variam induit formam ex sola corporis constitutione. Ideoque pluribus in verbis historiam facere, mihi superfluum videtur; quippe CULLENUS in hoc, quam in aliis morbis, definitionem largius protulit, quæ morbi notabilia continet. Præterea, si singulas dissererem species, ultra solitos limites extenderem opus, quod ita perstringam, has quatuor dividendo in duas species: Acutam nempe, in qua, firmus et robustus corporis habitus; et in Chronicam, cui generalis debilitas, inest. De his igitur in ordine dicendum erit.

ACUTA PODAGRA.

Hæc plerumque prima, aut secunda, Auroræ hora, doloribus incipit, qui pedis pollicem sæpius, aut calcem, et nonnunquam convexam pedis partem, vehementer angunt; deinde post horrorem, pulsus frequens, calor major, aliaque signa febris accedunt, maximeque urgent. Ingravescente autem paroxysmo, membrum maxime dolet, adeo ut

vestimenta pondere, sive motus lenissimi, molestias impatibiles inducant. Febre urgente, magis magisque calescit corpus, et magis irritabile factum est ; dolores quoque augescere perstant, arescuntque fauces, et omnia, quæ torquent, magis violenta evadunt ; donec viginti inter et quatuor horas gradatim recedunt, erumpuntque sudores, qui longe exoptatum inducunt somnum, cujus gremio æger se lubenter committit. Intumescit nunc pars affecta ; cujus intumescentia est insignis, nec non prurit quoque, et cuticula desquamat, quo fit, ut omnis molestia aufugiat. Verba SYDENHAMI multis in rebus consentiunt ; et ita : "Jam leni sudore perfusus somno concedit ; a quo evigilans dolore multum imminuto, partem affectam tumore recenter occupatam cernit ; cum solum antehac, quod in omnibus podagricorum paroxysmis solenne est, insignior intumescentia venarum membro inter textarum se in conspectum dederat." Veritatem hujus nemo nunc negabit, qui morbum unquam vidit, quia deducitur accurata observatione.

Vespere autem succedente, signa eadem redeunt; quæ ad matutinam horam quartam sive quintam urgere eodem in modo perstant, et si non obsistuntur, per multas vices iterum iterumque accedunt.

His præsentibus, Dyspepsia semper fere comitatur, vel præcedit; in qua prominent ructus, inflatio, astricta alvus, et anorexia, quæ haud minimo in gradu perturbant. Quinetiam anxius et variabilis est animus, et quibus æger prius gaudebat, ea nunc prorsus odit. Inde amicorum curæ, qui opem inferre delectant, subito rejiciuntur. Sed, rarius, si unquam decrescit febris, nisi tumor, pruritus, desquamatio cutis superveniat; et tunc solvitur morbus; neque, si æger est firmæ constitutionis, sedem unquam mutat, aut aliam partem, nisi pedem adoritur. Denique, si abit morbus, et brevibus intervallis redit, cito corporis vires exhaurit, aliæque ejus partes laborant, præter quam pes, cum signis variis. Exinde scribit HEBERDEN: " Quod si prima sedes in quovis alio loco fuerit præterquam in pede, duratio dolo-

ris, et reditus ejus, et quæ consequuntur, adeo diversa erunt ab iis quæ arthritidis propria sunt, ut hujusmodi affectus si dici nequeat Rheumatismus, alio novo nomine notari debet, quo ab arthritide pariter ac rheumatismo distinguatur *. Ex his verbis patet, ut iste proteus gignatur, chronica species, de qua deinde dicendum est.

CHRONICA PODAGRA.

Hæc mihi comprehendere videtur tres alias species, in quibus, ut jam dictum est, corpus maxime debilitatur, quasi morbo confectum. In "Atonica," adeo debilis apparet constitutio, ut ad juncturas vitium propellere vix queat; ideoque ventriculum perturbat, omniaque ventriculi vitia gignit, quæ ex hoc fonte admodum excruciant. Ab hac haud multum discrepat "Retrograda," quæ etiam indicat debilitatem, et, cum pedem inflammatione adoritur, subito recedit. Dum

* Heberden. *Comment.*

"Aberrans," "cum partis internæ inflammatione, vel non prægressa, vel prægressa et subito recedente, inflammatione artuum," optime dignoscitur, in qua plerumque mitiores sunt dolores pro rata parte, et aberrantes *sine fixa sede.*

Conjungitur, inquit CULLENUS, aliquando aliis morbis, quibus consensum haud minimum habet. Huic opinioni favere videntur verba auctoris eruditi: "Sæpius multo quam vellem, vidi non solum ossa cariosa, scirrhos, et carcinomita; cerebri, pulmonum, et viscerum abdominis, aliosque morbos longos; verum acutos etiam, inflammationes scilicet pulmonum, stomachi, et aliorum viscerum, qui appellati sunt arthritici *." Præterea morbum inter, de quo agitur, et Nephritidem, magna est affinitas, quæ ex calculis patet, qui renibus aut urinæ vesicæ insunt, his admodum similes quod ad compositionem chemicam, qui circa pedis manusve juncturas concrescunt.

---

* Vide HEBERDEN. *Comment.*

Easdem fere causas uterque morbus agnoscit, et iisdem remediis levatur et curatur.

CAUSÆ.

In omnibus morbis sunt causæ, quæ proclivitatem tantum dant, et aliæ, quæ et faciunt, et morbum excitant. Inde auctores mentionem faciunt causarum, quæ præcipue ex insolito vitio intra corpus pendent, et Internæ; dum aliarum extrorsum originem ducentium, Externæ causæ, nominantur. Exinde genus primum sibi acquirunt Prædisponentium nomen, dum alterum, id Excitantium. De his seorsim in ordine mihi animus est dicere.

PRÆDISPONENTES.

Inter has, quædam corporis constitutio, sexus, ætas, et diversa anni tempestas, jure haberi possunt. Labes hæreditaria, parentibus deducta, fundamentum morbi jacet, inter omnes convenit.

Hoc autem vitium parentum, in iis, qui morbo implicantur, non semper manifestum; quia proles non semper in morbum incidunt, quamvis parentum indolem et formam corporis omnino simulant. Viri præ fœminis proclives; dum eunuchi immunitatem acquirunt: et quædam ætas proclivitatem dat; nec non puellæ, quam pueri, multo minus obnoxiæ. Multis testimoniis nulli ætati, neque sexui parcit; tamen seniles, præ juvenibus obnoxii sunt.

Anni tempora dicuntur corporis indolem gignere, qua homines facilius afficiuntur. Sed hoc haud perpetuum est. Neque morbus vere, quam æstate, autumno, quam hyeme, frequentius occurrit. Si adest proclivitas, causa externa ad morbum inducendum satis valet, Præterea jam enumerata, recensentur, vitæ inertia, aut ignavia; nec non temperamentum sanguineum, et plethora. Hanc inter et Podagram affinitas magna est. Sed plethora et labes hæreditaria, nisi ventriculi vitia simul, Podagram rarius inducunt, quæ ad se inducendam, hæc simul conjuncta sæpe requirit.

CAUSÆ EXCITANTES.

Hæ causæ, ut jam dictum est, originem e rebus externis ducunt. Ad eas igitur spectant omnigena intemperantia, præcipue ingluvies, sive diæta lauta, ebrietas, sive nimius quorundam vinorum usus, præsertim quæ acida, et haud mitia sunt. Hæc enim ventriculi acorem gignunt, quo inducitur dyspepsia, quæ semper fere præit, aut nostrum morbum comitatur. Hæc enim Gallica vina, simul cum vita ignava, et diæta, quæ facile ascescit, ventriculo maxime nocent, et excitare præsertim putantur. Præterea, quæcunque corpus debilitant, ventriculo etiam nocent, qualia, immodica exercitatio, præcipue venus immodica, animi pathemata, ira nempe et timor, aliique affectus deprimentes, nimium studium, frigus pedibus applicatum, narcotica omnia, thea, coffæa, nicotiana, tabacum, opium, calidæ potiones; necnon omnia amara, aromata et acescentia, nimis diu assumpta; quæ omnia maxima pollent vi

ventriculum debilitandi, ideoque Podagram excitandi. Injuria etiam pedi illata, veluti contusio, nimia ambulatio, aut equitatio, calceus nimis astrictus, vel quæ pedem inflammant, aut contundunt, illis proclivibus morbum excitant. Porro multa alia sunt, quæ pariter prædisponent ac excitant; sed hæc sat superque sunt.

PROXIMA CAUSA.

De hac re, omnia obscura, et in atra caligine versantur. Multis quidem prolatæ sunt conjecturæ, quæ, si non absurdæ, saltem futiles nunc apparent. Ita, quidam sunt, quos inter Boerhaavius credit, ex morbida nervorum ac vasorum capillarium textura pendere causam proximam; quam alii ad insignem fluidorum acrimoniam referunt; cujus autem de natura, qui ita putant, non in eandem sententiam ineunt.

Quorum enim plurimi, Hoffmanni instar, ex tartarico sale constare id nocivum, quod alii bilio-

sum, nunc acidum, nunc alkalinum esse salem sibi persuasum habent. Quas diversas refellere opiniones summis viribus nititur CULLENUS, et suam proposuit his verbis: "In some persons there is a certain vigorous and plethoric state of the system, which, at a certain period of life, is liable to a loss of tone in the extremities. This is in some measure communicated to the whole system, but appears more especially in the functions of the stomach. When this loss of tone occurs, while the energy ef the brain retains its vigour, the vis medicatrix is exerted to restore the tone of the parts; and accomplishes it by exciting an inflammatory action in some part of the extremities. When this has subsisted for some days, the tone of the extremities, and of the whole system, is restored, and the patient returns to his ordinary state of health *." &c.

Hac autem sententia nodus nequaquam solvitur, et proxima causa, me judice, adhuc latet: et

---

* Vid. *Pract. of Phys.* Part I. b. ii. ch. XIV. DXXXIII.

in verbis GREGORII: "Præstat certe de re adeo obscura et incerta nihil conjectare, quam variis opinionibus, ipsisque parum accuratis, neque ad rem bene explanandam idoneis, neque usui medico accommodatis, nosmet irritire *."

DIAGNOSIS.

Podagra cum aliis morbis vix confundi potest; quippe cui nulla insint signa, quæ alios, nisi Rheumatismum paucis in rebus, referunt. Nihilominus vero in aprico sunt, quæ utriusque propria, unum morbum ab altero bene distinguunt.

Podagra, enim, morbus hæreditarius, minores afficit articulos, quam majores, per intervalla revertens, cum insolita ventriculi affectione; dum Rheumatismus majores quam minores implicat artuum juncturas, doloribus, qui musculorum tractum sequuntur; neque plerisque in casibus ven-

* Vide GREGORII Conspect.

triculus laborat, sed potius appetitus bonus est. Porro illa senes, raro impuberes aggreditur, et viros præ fœminis; dum hic illos præcipue corripit ætate florente gandentes, neque sexui ulli parcit.

Uterque morbus habet causas diversas, et prædisponentes et excitantes; ita Podagra, labem hæreditariam agnoscit, quam Rheumatismus rejicit. Multis in aliis rebus discrepant, quæ experto satis patent. Quando autem Podagra formam chronicam induit, Dyspepsiæ similia habet multa, quæ aliis similibus morbis haud tam facile dignoscuntur: "Medici enim," inquit eruditus HEBERDEN, "omnes fateantur necesse est, signa hujusmodi Podagræ esse admodum obscura, et vix ulla dari quibus eam vel novisse vel jure suspicari possimus, nisi accesserint dolor et rubor et tumor pedis; æger ipse, vel parentes ejus, antea tentati fuerint hoc affectu."

PROGNOSIS.

Ex signis morbi, ejusque natura rite perpensis, si æger firma gaudet corporis constitutione, quod ad vitam haud infaustum est præsagium; sin autem debilis factus sit, et morbi reditu conquassetur, viribus fractis, metastasis sæpe accedit, et organa vitalia haud raro implicat et mortem instantem inducit.

Porro, si senes adoritur, rarius omnino expellitur, sed minus periculi infert; et quo sæpius occurrit, eo firmius inhæret: et paroxysmi et longiores, et multo magis torquent. Sed si juvenes in morbum incidunt, sæpe regimine proprio reditum ejus præcavent, et sine hostis timore, aut molestia ulla, haud raro vitam degunt.

RATIO MEDENDI.

Diu medicis persuasum est, ad sanitatem genc-ralem conferre Podagram, et ubi sævit, alios morbos expellere: " Hinc fato singulari evenit," inquit HEBERDEN, " ut hodie plus operæ detur ad gignendam, vel excitandam arthritidem, quam ad sanandam, et penitus fugandam." "Quippe," inquit idem auctor, " tantum honoris huic morbo tributum est, ut omnia alia mala, quæ arthritici experiuntur, præter dolorem, ideo oriri existimentur, non quia nimium Podagræ passi fuerunt, sed quia nondum satis." " Inde ejus adventum sibi et amicis gratulantur, et quantum in ipsis est, cavent ne nimis cito se proripiat." " Ita ab illis creditum est, morbum esse conatum corporis, quo humores corruptos expellat." Sed experientia satis docet, " quæ mala podagræ imputata fuerunt, multo certius ab ea profluerunt, quam quæ bona." Ab hinc nostrum erit consilium, paroxysmum solvere, quam primum potuit: deinde reditum ejus

impedire, omnia evitando, quæ vel prædisponunt sive excitant.

I. Durante paroxysmo,—si robusto corporis habitu et ætate florente gaudet æger, præcipue si pyrexia urget, generalis sanguinis missio, quamvis multum disputatum est, plane indicari, et opem inferre videtur; cui addantur laxantia, ad alvum bene solvendam. His enim remediis inflammatio optime solvitur, et si admodum torquent dolores, aqua frigidissima ad partem affectam applicata, ad minuendos et sedandos dolores urentes, perutilis inventa est. Huic consilio suadet CELSUS: " Sin vero tumor calorque est, utiliora sunt refrigerantia; recteque in aqua quam frigidissima articuli continentur, sed neque quotidie neque diu fit, ne nervi indurescant." Hanc medendi rationem secutus est eximius HARVEY, et nuperius, Doctor GOOD, summo cum fructu. Sin autem æger infirmus et debilis sit, his periculosum putatur uti: calida fomenta, et localis detractio per hirudines, melius respondent. Præterea, omni in morbi paroxysmo, *opium* utile est, præsertim id

præparatum, dictum Nigra gutta; et *eau medicinale,* et vinum colchici, quam plurimis laudibus feruntur, veluti remedia quæ dolores citissime tollunt.

Sed opium magnis in dosibus adhibendum est, cum quibusdam antimonii præparatis conjunctum; adeo ut superficiem cutis versus agat. Parvæ enim opii doses nil prosunt, sed tantum systema irritant. Huc spectant CULLENI verba: "In a case of the Gout in the stomach, I have gone by degrees to the dose of ten grains twice a day; and when the disease was overcome, the dose of opium was gradually diminished, till, in the course of two or three weeks, it was none at all; and, in all this, no harm appeared to be done to the system. We frequently find, that when a strong irritation is to be overcome, very large doses may be given without procuring sleep, or shewing any of those deleterious effects, that, in other cases, appear from much smaller quantities given. All this appears from the practice well known in Tetanus, Mania, Small-pox, Gout, and Syphilis *."

---

* Mater. Med. Part. ii. cap. 6.

II. In paroxysmi intervallo,—quæ proclivitatem dant, et morbum excitant, caute evitanda sunt. Diæta propria, quod ad ægri habitum, ætatem, corporis vires, accommodanda est. Quæcunque ventriculum et corpus roborant, et dyspepsiæ accessioni obstant, maxime juvant: Qualia, imprimis laxantia, deinde tonica, veluti carbonas ferri, Gentiana, Columba et Cinchona, aliaque, quæ ad ventriculum firmandum conferunt.

Regimen antiphlogisticum plerumque convenit. Desidiæ et vitæ ignaviæ, anteponenda exercitatio modica in aëre puro, quæ fortasse omnibus præstat. Pulvis Portlandicus multis laudatus est, et pro tempore multo in usu fuit, et creditus est vi pollere mitigandi aut differendi Podagræ accessiones; sed nunc fere omnino rejicitur, non modo inutilis, sed etiam periculosus.

FINIS.